



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiae Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiae, 1674

Caput III. In summis angustiis constitutam Matrem; dolorosam conari
consolari; propositis per pias preces ejus gaudiis, tum iis quibus affectu
fuit in terris; tum iis quibus nunc fruitur in cœlis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

CAPUT III.

*In summis angustiis constitutam Matrem dolo-
rosam conari consolari; propositis per pias pre-
ces ejus gaudiis, tum iis quibus affecta fuit in
terris; tum iis quibus nunc fruitor in
cœlis.*

NE mihi succenseas Parthenophite,
quod te, ut illam consolari con-
aris, urgeam, à qua post Deum omne so-
latium, gaudiumque expectas. Neque
enim id quoad effectum à te flagito, ut
theologi loquuntur, sed quoad affe-
ctum; ipsa enim Virgo modo divinita-
tis oceano immersa, tantis bonorum
omnium fruitione, & gaudiis perfundi-
tur, ut ab humana mente concipi ne-
queant, tantum abest, ut calamo com-
plecti, vel scribi possint. Placet tamen
Dominæ, si filialem in te affectum expe-
riatur, quo scilicet, si etiamnum aliquo
in doloribus suis constituta, indigeret
solatio, ipsi succurreres. Neque care-
bit fructu devotio; cum enim in hac la-
crymarum valle constitutus sæpius in-
gemiscas, haud dubiè te solatio subinde
indi-

indigere demonstras, quod abundantissime tibi Domina nostra propinabit ab uberibus consolationis suæ, si & tu ipsam piis fuis precibus solari non desistas. Erit itaque illa afflicti consolatrix effectu; pro ut dolorosæ, affectu tuo gaudium aliquale adhibebis. Et ut rem certam historia quadam adductâ confirmem, refert Petrus Damianus *lib. 3. cap. 10.* De religioso quodam monacho, qui quotidie, dum sacrum Dei Matris altare præteriret, illam ex consuetudine antiphonam pronunciabat: *Gaude Dei genitrix, Virgo immaculata, gaude que gaudium ab Angelo suscepisti; Gaude que genuisti eterni luminis claritatem; Gaude Mater, gaude Sancta Dei genitrix, Virgo, Tu sola Mater innupta, Te laudat omnis factura, genitrix lucis, intercede pro nobis.* Quam antiphonam, cum die quadam non sine animi teneritudine, & cordis affectu diceret, audivit vocem ab altari procedentem omni melle dulciorem: *Gaudium mihi annuisti, gaudium tibi eveniet. Quod si perconteris, quisnam modus hanc mœstissimæ Matri consolationem adhi-*

bendi? respondeo, varios esse posse, & si ita lubet, uti poteris sequente: Nullus dubito esse domi tuæ quandam dolorosæ Virginis imaginem, aut si ea non sit, propediem illam procurabis, vel certe cum Sabbathinus dies sit, quo aliquid amplius Virgini concedendum est, templum adibis, ac coram Icone dolorosæ Matris in genua provolutus, ubi de ingenti mærore animi ejus pauca meditatufueris, fors hisce verbis Dominam alloqueris: *Eheu mæstissima Mater Dei, & mea, quantis te perfusam lacrimis, quanto dolorum cumulo obrutam, quantis anxietatibus sanctissimum cor tuum cumulatum video! Quis mihi tribuat, ut tantæ acerbitatis pars in me peccatorem dirivetur? sed quid partem dico? omnis in me dolores tui si immigrent pars erit summi beneficii; Ego enim reus sum, ego peccavi, mihi ista debentur supplicia. Misericordissima, & afflictissima Mater, respice nihilominus oculis misericordiæ tuæ super me indignissimum peccatorem, quibus tot, tantosque peccatores respexisti, ne queso, despice servulum, pro quo Salvator meus, filius tuus non dubitavit crucis subire tormentum. Atque uti-*

nam

nam afflictiſſima Virgo tantis tuis doloribus aliquod ſolacium afferre poſſem! ne me ſpernas Domina conantem. Subjunges deinde demiffâ oratione ſeptem SS. Matris gaudia, quibus benedicta ejus anima in hac mortali vita perfuſa fuit, hiſce verſiculis comprehenſa.

1.

Gaude Virgo Mater Chriſti,
Quæ per aurem concepisti,
Gabriele nuntio. *Ave Maria.*

2.

Gaude quia Deo plena
Peperisti sine pœna,
Cum pudoris lilio. *Ave Maria.*

Gaude quia oblatio,
Regum quoque devotio
Exhibetur filio. *Ave Maria.*

4.

Gaude quia tui nati
Quem videbas mortem pati,
Fulget reſurrectio. *Ave Maria.*

5.

Gaude Chriſto aſcendente,
Qui in cœlum te vidente
Motu ſextus proprio. *Ave Maria.*

6.

Gaude quia Paraclitus
Demiffus fuit cœlitus,
In tuo collegio. *Ave Maria.*

N 5

7. Gau-

7. Gaude quæ post Christum scandis,
 Et est honor tibi grandis,
 In cœli palatio.
 Ibi fructus ventristui
 Per Te nobis detur frui
 In perenni gaudio. *Ave Maria.*

Hæc gloriosa SS. Matris gaudia cum pro sua consuetudine B. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus aliquando secum perpenderet, singulaque Angelica salutatione honoraret, res illi accidit incredibilis prope solatii. Nam, *Pomer. serm. de B.V. lib. 10. p. 4. à 3.* Virgo Deipara summa charitate eidem apparens, in hæc verba ipsum allocata scribitur: *Charissime, devotionem tuam gratanter accepto, quia de meis gaudiis, quæ in ista vita habui frequenter commemorando me salutas. Attamen vellem insuper, ut illa mea gaudia, quæ in cælo nunc gloriosa habeo, recoleres, & consimiliter de his quotidie, me reverenter salutares. Quod si feceris tu, vel quicumque alius fidelis ob mei devotionem hoc fecerit; Ego promitto, quod in tempore obitus sui, ego ejus animam protegam, & liberabo, & in cõspedu filii mei pro ipsa astabo,*

¶

Et intercedam, ac consolabor eam. Tunc ipse B. Thomas humillime Dei Matrem venerando, gratiasque agendo, *O gloriosa*, inquit, *cœlorum Regina*, & super benedicta *Domina mea!* dic quæso mihi, quæ sunt ista tua gaudia in cœlo, de quibus te salutare debeo? Tum ipsa gloriosa *Domina* septem illum cœlestia sua gaudia edocuit, quæ in versiculos redacta, in variis Ecclesiis sequentiarum loco publice recitari consueverunt. Ut igitur eo suavius consolari coneris dolorosam tuam Matrem *Parthenophile*, & hæc tibi gaudia proponam; quibus hodiernum diem laudando *Virginem*, & congratulando possis eo suavius impendere. sunt ergo sequentia.

1.
Gaude flore Virginali,
Quæ honore speciali,
Transcendis splendiferum
Angelorum principatum,
Et Sanctorum decoratum
Dignitate munerum. *Ave Maria.*

2.
Gaude sponsa chara Dei,
Nam ut clara lux diei,
Solis datur lumine:

Sic Tu facis orbem verè
 Tuæ faciei resplendere
 Lucis claritudine. *Ave Maria.*

3.

Gaude splens vas virtutum,
 Cujus pendens est ad nutum
 Tota cœli curia,
 Te benignam & felicem
 JESU dignam genitricem
 Venerans in gloria. *Ave Maria.*

4.

Gaude nexu voluntatis,
 Et amplexu charitatis
 Juncta sis altissimo;
 Ut ad votum consequaris,
 Quidquid Virgo deprecaris,
 A Jesu dulcissimo. *Ave Maria.*

Gaude Mater miserorum;
 Quia Pater sæculorum
 Dabit te colentibus
 Congruentem hic mercedem,
 Et felicem poli sedem,
 Regnis in cœlistibus. *Ave Maria.*

6.

Gaude Virgo Mater Christi,
 Tu quæ sola meruisti,
 O Virgo piïssima;
 Esse tantæ dignitatis,
 Ut sis sanctæ Trinitatis
 Sessione proxima. *Ave Maria.*

7. Gau-

Gaude Virgo Mater pura,
 Certa manens & secura,
 Quod tua gaudia,
 Non cessabunt, nec decrescent,
 Sed durabunt & florescent
 Per æterna sæcula. *Ave Maria.*

- ψ. Exaltata es S. Dei Genitrix.
 ϛ. Super choros Angelorum ad cœlestia regna

Oremus.

Dulcissime Domine Jesu Christe, qui
 beatissimam Genitricem tuam
 gloriosissimam Virginem Mariam per-
 petuis, & felicibus gaudiis in cœlo læ-
 tificasti, concede propitius, ut ejus me-
 ritis, & precibus salutem mentis & cor-
 poris consequamur, & ad gaudia tuæ
 beatitudinis, & ejus æterna feliciter
 perveniamus. Amen.

Ecce igitur Parthenophile, neque
 enim diutius te detinebo, quam ex Ma-
 tris tuæ dolorum consideratione pa-
 tientissimus effectus sis, ecce, inquam,
 gaudia Virginis, quibus eam mæstam
 & afflictam solari possis, tibi que feli-

N. 7

cem

cem procurare obitum. neque multis huic parti inhærebo, cum speciali opusculo hæc sancta gaudia Matris tuæ, vitam comite, me elucidaturum, confidam. finiam itaque ubi perbreuem, & in rem meam accommodam historiam coronidis loco proposuero. Refert eam Beluac. in spec. lib. 7. c. 84. Erat Clericus quidam utcunque vanus, ita tamen devotus, ut nunquam templum præteriret, quin in hæc verba prorumperet: Beatus venter qui Te portavit, & ubera quæ suxisti! accidit ut morbo correptus, eò jam deductus esset, ut morti propinquior etiam linguam sibi, ac labia dentibus miserime dilaniaret. In hac vero calamitate Custos Angelus proprio cliente supplex Virgini factus, ita eam affatus scribitur: Meminisset piissima Mater, quæ nunquam suorum non memor sit, hæc ea esse labia, hanc illam linguam, qua miser homo in Jesu ac Maria salutandis toties usus fuisset. Nec misericordiae Mater hæc milerias poterat scire, & non illico subvenire. Adfuit itaque ægro, & ex uberibus illis,

lis,

lis, quæ æger Clericus toties beata
prædicaverat, expresso in ejus os sa-
cratissimo lacte (O pietas !) linguam,
labia, totum denique hominem sanitati
restituit. Insuper longe majus addix-
it beneficium, gratiam scilicet impe-
trando, ut spretis sæculi cupiditatibus,
Religionem iniret, dulciori pietatis ac
sanctioris vitæ sensu deinceps Deo mi-
litaturus. Vide sis Parthenophile, quan-
tum tibi de Dei Matris benignissima
misericordia spondere possis, si animo,
ore, & opere ipsi devotus sodalis exi-
stas. Age igitur mæstissimæ Matris
per quam sis studiosus, & esto cœli se-
curus.

Vive devotè Deo, pacificè

proximo, patienter Tibi,

& Vale.

INDEX